



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri  
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum  
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina  
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

**Luther, Martin**

**Basileae, 1520**

**VD16 L 3411**

Praeceptvm Qvintvm, Non Occides.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34878**



## PRAECEPTVM QVINTVM,

## NON OCCIDES.

**D**ictum est de praeceptis, quae respiciunt deum tam in seipso, quam suis locum tenentibus. Iam sex sequentia respiciunt proximum. Et uide mirum & aptum ordinem. Incipit enim prohibitio a maiori usque ad minimum: nam maximum damnum est occisio hominis, deinde proximum uiolatio coniugis, Tertium ablatio facultatis. Quod qui in his nocere non possunt, saltem lingua nocent, ideo quartum est laesio famae. Quod si in his non praeualent omnibus saltem corde laedunt proximum, cupiendo quae eius sunt, in quo & inuidia proprie consistit, de quibus uidebimus. Talis processus est & in primis, iiii. Nam maximum est corde, ore, opere abijcere deum, deinde saltem ore in uanum nominare, quem corde & ore confiteris. Tandem, quem ore & corde colis, opere non colere. Et nouissimum, in suis uicariis despiciere, quod licet leuius sit inter quatuor illa, tamen est maius, quam caetera quae sequuntur, eo quod non deus proprie in illis impetitur, sed homo & proximus. Hoc autem praeceptum sicut, & omnia alia, ad literam traduxerunt pharisaei: tanquam nullus contra ipsum faceret, nisi manu propria occideret alium. Sic docebant, & ita quoque uiuebant. Quod autem sic docebant, patet per omnes prophetas. Vnde & Psal. xviij. intuitus, quod doceret opera illa externa tantum, non ex corde, ratio affectus, dicit. Coeli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, quod dicitur isti solummodo docent opera hominum, non opera dei: Quibus sit ut legem dei corrumpant, quae est immaculata, conuertens animas, sed illi solas conuertunt manus. Et ratio est, quia lex est spiritualis. Et hic notandum, quod quando lex dicitur spiritualis, intelligitur non quod sit mystice intelligenda, sicut intelliguntur figurae & mysteria: aliud enim est mysticum, & aliud spirituale: sed spiritualis dicitur, quia solo spiritu impletur, & spiritum requirit: hoc est, nisi corde, & hilari uoluntate impleatur, non impletur. Sed talis spiritus non est in nobis, sed datur per gratiam spiritus sancti, quae facit uoluntarios in lege domini. Vnde quando auditur lex quaecumque, precipiens illa uel illa, semper oportet cogitare & subaudire, quia precipit uoluntate talia facere, id est, libere sine timore poenae, & ex hilaritate: quod cum in nobis non sit, statim intelligitur, quod lex cogit ire ad gratiam, ut impleat. Sic Psal. ij. Sed in lege domini uoluntas eius. Qui autem mysticum & spirituale idem intelligunt, oportet ut decalogum legis non spiritualemente intelligant, sed tantum ceremonias legis, cum nullum sit mysticum praeceptum in illo. Ac per hoc Apostolo resistant Ro. v. Lex spiritualis est, & loquitur de lege decalogi, ut patet expressse in textu. Quare mysticum & spirituale differunt, sicut superius & inferius. Omne spirituale est mysticum, sed non contra, quia spirituale est nihil aliud, nisi quod est uel significat uiuam uoluntatem ad faciendum uel obmittendum. Mysticum autem saepe significat externas operationes, ut immolatio passeris significat carnis macerationem: sed haec est adhuc literalis, licet mystica, quia potest fieri sine spiritu & uoluntate: quia & euangelij praecepta saepius in litera seruantur ex timore & non ex uoluntate, quam uere secundum euangelium uiuere sit praecepta ex uoluntate libenter facere. Et qui aliter uiuit, non secundum euangelium uiuit, sed secundum literam legis. Quocirca qui intelligentiam spiritualemente, & doctrinam spiritus intelligunt ipsum euangelium, & hoc secundum opera exteriora, prope sunt Pelagiani: quia talia opera etiam ab impijs fiunt, sed

Damnū omne  
prohibetur.

Lex spiritua/  
lis est.

Mysticum saepe  
pe, externa si  
gnificat.

Vere secundum  
euangelium  
uiuere.

S opera



Opa euangelij ab interiori dicitur, ab exteriori opera hominum

Pharisaica opa facimus nos.

Occidentes in uerbo qui sunt.

Irascentes in signo.

opera euangelij non nominantur secundum suum exterius, sed secundum suum interius. Ideo sunt opera abscondita, licet foris luceant, uoluntas tamen latet. Eadem causa etiam uocantur opera dei, quia sunt opera gratiae & spiritus, cum homo ex se non habeat uoluntatem istam, ac per hoc nec opera ipsa. De istis ergo operibus in scriptura frequens est mentio. Et opera hominum acriter arguuntur quod sunt similia quidem ueris, sed uera non sunt, quia sine uoluntate gratuita fiunt, sed semper habent uel timorem poenae, uel amorem commodi pro fine. Taliter enim Iudaei uiuebant & docebant, ut dixi. Nam cum Christum ad Pilatum ducerent, nolebant eum interficere, ne peccarent, sed tradiderunt eum ad occisionem. Sic Saul quoque de Dauid, Non sit manus mea in illum, & tradidit illum in manus Philistinorum, quasi ideo esset innocens; quia non manu occideret, sed corde.

Quocirca Christus Matth. v. Nisi abundauerit iustitia uestra plusquam scribarum & pharisaorum, non intrabitis in regnum caelorum. Et quare hoc? quia accipiebant legem secundum dicta & sonum syllabarum, id est, non secundum intentionem legislatoris. Ideo dicit, Audistis, quia dictum est antiquis, quod dicitur, sed non intellectum; uerba tantum audierunt, intellectum autem non cognouerunt, ideo secundum litteram uixerunt, & hoc totum, quia fuerunt antiqui, carnales, Adamite, terrent. Ego autem dico uobis, quibus uobis; utique non antiquis sed nouis caelestibus, Christianis, spiritualibus, spiritualiter dico. Igitur audiamus, quomodo Christus hanc legem spiritualiter exponit, Et uidebimus quot genera contra hoc mandatum peccent.

Primi itaque sunt, qui irascuntur in effectu, qui occidunt ad litteram & in opere; de quibus dicit, Qui autem occiderit, reus erit iudicio, uel potius, reus erit iudicij, aut iudicio, in dandi casu, pro eo quod est obnoxius iudicio. Hoc facile omnes intelligunt, nisi quod sub opere illo comprehenduntur omnes qui hortati sunt consilium, auxilium, aut quocumque alio modo causam mortis dederunt, aut socij & participes fuerunt.

Secundi sunt, qui irascuntur in uerbo, de quibus dicit: Omnis qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis. In uerbo autem fatue, intelliguntur omnes maledictiones; contumeliae, blasphemiae, quae procedunt ex ira deliberata. Tales enim & si opere non occidunt, tamen uerbis ea super ipsum dicunt; quae si fierent, utique ille moreretur. Quomodo enim uiueret, si diabolus auferret, si pestilentia occideret, si fulmen percuteret; immo aliquando usque ad animae mortem maledicunt, dicentes, ut absorbeat te ignis inferni. Assumit autem Christus uerbum modestius, scilicet fatue, ut intelligamus quid sit de illis, qui durius maledicunt, & hoc ex ira plena, & quae optet interitum illius, quem maledicit.

Tertij sunt, qui irascuntur in signo, de quibus dicit: Omnis qui dicit fratri suo racha, reus erit concilio, in quo intelliguntur omnia signa alia, quae ex eadem ira mortali procedunt, ut sunt auerti facie, tacere salutationem, aut responsionem, gratulatorijs uerbis malum eius protestari, & indignabundis prospera eius prosequi; de quo philosophus. ij. Ethic. fecit uirtutem Nemesis. Nam hoc signum leuissimum Christi ponit, ut iudicandum relinqueret de prioribus, immo quia pace & uerecunde exprimit spiritus mala hominum, sed profunde uult intelligi. Racha certe, si meo iudicio sentire liceat, etiam usitatum uidetur apud omnes linguas, nam & nos cum indignamur, fragore quodam gutturis proferimus, uelut caninum arch seu rach. Talem enim fragorem & asperitatem gutturis, puto dominum significare uoluisse per dictionem istam, & hoc esse quod alij interiectionem indignantis exponunt



ponunt. Non est enim alia interiectio indignantis & quidem uehemētior, rath seu rath, ut notū est. Talis itaq; licet nec uerbo, nec opere occidat, tñ id signat; quo cupit eū non esse, ira motus, ideo occidit signo.

Quarti sunt, qui irascuntur affectu, & is gradus est causa, qua supradicti sunt peccata; quo sine, si etiam fierent, & possent fieri, non essent peccata. Ipse enim affectus iræ est caput & uita iræ uerbalis, signi & operis, sine quo nō essent ira, de quibus dicit: Omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio. Tales em̄ licet nō occidant opere, uerbo, signo, tamen corde; de quibus Ioan. in Ca. sua. Qui odit fratrem, suū homicida est, quare; quia non fauet ei uitā, sed mortē; ideo quo ad cor, est occisor fratris coram deo.

Irascentes affectu.

Igitur hoc præceptū, est profundissimū, nec ullus est qui id impleat sine gratia, cū nullus sit, quin habeat cui irascatur, si recte seipsum consideret, alioquin falsa erit oratio dominica, quæ dicit: Sicut & nos dimittim⁹ debitorib⁹ nostris.

Sine gratia nō possumus hoc præceptum adimplere.

Sine charitate em̄ impossibile est, ut hoc præceptū nō transgrediat, aut em̄ diligit, aut odit homo proximi suū; licet nunc nati sint neutrales quidam, dicentes, quod potest nec diligere, nec odisse. uerū tu ne illis confidas suadeo.

Quare qui uult hoc præceptū implere, studeat omnibus modis omnē hominē dulci effectu diligere, immo petat a dño gratiā dilectionis. Et non sibi frustra palpet, quod neminē odiat; ualde em̄ mitis, & humilis est homo, qui hoc præcepto non peccat; Quia spiritalis illa ira, quæ prohibetur in isto affectu, ita profunda est, ut etiam foris non apparente signo uel uerbo, intus uehementissimē me uiuat, de quibus Esa. x. Væ uobis, qui profunde estis corde, & quorum sunt in tenebris opera eorum.

Est autē & ira alia spiritalis & bona, quæ uocatur zelus dei. Nā nisi dñs etiam uellet significare irā bonā, absolute dixisset, Omnis qui irascit, nunc dicit. Omnis qui irascitur fratri suo, ne contradicat sibi ipsi, ubi ait. Qui odit animā suā in hoc mundo &c. Quare ira & odium sup̄ seipsum est nobilissimum, de quo alias.

Sufficit itaq; nobis huius præcepti ista expositio domini, præter hoc quod & multos mouit, cur dominus hunc ordinem fecerit, ut simplicem iram iudicio, Racha concilio, fatue geennæ deputerit; Nam id facile patet, quod per iudiciū, quod dicit lex, Qui autem occiderit, reus erit iudicio, intelligantur hæc omnia tria in spiritu, sicut ipse dominus legem interpretatur: quod sicut sub, Non occides, comprehensa est uniuerso prohibitio iræ, ita sub iudicio uniuersa pœna iræ. Cur ergo nunc iudiciū distinguit a concilio & geennæ? Primus Lyra, sentit qd̄ textus sit transpositus, cum conciliū prius uideatur q̄ pœna. B. Aug. lib. j. de ser. do. dicit, quod ordo grauitatis hic ostēdit in pœna, sicut & est in ordine culpæ. Sed quomodo id peragatur inuisibiliter in animabus, non posse dici. itaq; relinquit incognitū, solū hoc asserens, quod grauior, & grauior pœna illis gradibus est expressa. Nam in iudicio adhuc datur defensionis locus. In concilio uero tractatur de conuictio, qua sententia sit plectendus. In geenna uero est certa & definita damnatio rei. Per illū itaq; processum iuridicum exprimitur grauitas differentium criminum, quæ quo modo uindicentur, cum id B. Aug. non expresserit, nec posse exprimi dicat, ego quoq; desistam exprimere. Nam si dominus differentes pœnas uellet illis gradibus significari, ita quod reus iudicio, nō sit reus concilio, aut geennæ; sequitur quod mortalis inuidia non sit rea geennæ ignis, neq; maledictio, neq; detractio, quod est falsissimū, Immo sequit, quod occidens opere, peius mereatur supplicium q̄ geennam ignis, quia peior & grauior illis tribus est, cū tamen non sit peius supplicium.

Iudiciū, conciliū, geenna gradus pœnarum significat.

S ij Quare



Quare ut meditari liceat sine temeritate omnium istorum quatuor, seu sint plures gradus occisionis, etiam in opere, quod utique uerum est, quia grauius occidit, quam patrem & matrem aut uxorem occidit, quam alium hominem: una est poena, scilicet aeterna damnatio, & geenna ignis, sed differentibus gradibus inferenda. Quod significatur illis ordinibus graduum. Nam sicut remotior est a poena, & tardius ad eam uenit, qui iudicio tantum sistitur in temporalibus; ita tardius, id est minus intense ac leuius ponitur in inferno, qui solum iratus fuit. Nam quod in tempore est tarditas aut celeritas, hoc in eternis est intensio, aut remissio; immo tarditas & celeritas in corporalibus proueniunt ex intensioe & remissione spiritualium, ut patet in feruidis & ignauis animalibus, quae multa breui, & modica longo tempore perficiunt. Segnis enim anima, modica agit, ubi intensa facit plurima. Ita sicut qui concilio reus est, propior est malo suo, quam qui iudicio, & tamen remotior, quam qui geennae, ita intensius in illa punitur hic quam ille. Reus uero geennae sine mora est id est, intense nimis punitur, & non remisse. Qui uero occidit & peius quam occidit utique intensissime punitur. Haec ita dixerim, ut nihil affirmauerim.

Sed sunt quidam occulte superbi, qui secure sibi persuadent sese non esse reos huius praeccepti, quia non occidunt, non irascuntur, nec conscientiam sibi sunt odium: quod potest fieri & uerum esse, sed non in hoc sese iustificatos putare debent, & hoc praecceptum penitus euacuasse ac implese. Quia lex immaculata, & igne examinata, ac septuplum purgata. Idcirco non ante se quis gloriatur, non peccare in ira contra fratrem, quam se senserit ita mitem, & pacatum, ut si auferatur ei etiam omnia cum uita, non uelit irasci contra auferentem, ac non irascatur cum fuerit ita factum. O quam grande & profundum est uerbum hoc. Facile est non irasci pacificis, & istis qui non laedunt, hoc & gentes, hoc bestiae quoque faciunt, & bestiae etiam immuniore. Quam egregia ergo est iactantia iustitiae, quod non irasceris pacificis, scilicet usque ad serpentem & leonum peruenisti mansuetudinem. Verum si auferat tibi pecunia, domus, pater, mater, frater, soror, filius, ager, corporis membrum, & ipsa uita, hic uide si possis, non solum non irasci, sed etiam gaudere, & benedicere deum, ac benefacere haec facientibus. Si haec potes, gratias age, quia gratiam dei habes. Si non posse te inueneris, intellige radicalem illam iram, ipsam spiritualem occidendi uoluntatem intus latentem. Hanc enim lex prohibet & expugnat ideo gratia hic optus est, quam sic cognita impossibilitas per legem cogit quare re. Dicis itaque mihi, ita ne purum esse oportet hominem, ut ne uelit irasci quidem in omnibus malis sibi illatis? Respondeo, ita purum utique, quia nihil inquinatum intrabit in regnum caelorum. Quam diu enim ista manet uoluntas in nobis, quae data occasione ruit in iram, fumus immundi. Oportet ergo ita mudam fieri, ut non solum, sicut dixi, non irascatur, sed etiam benedicat maledicentibus, benefaciat persequentibus, gratias agat deo in aduersis, & optet plus aduersitates, ut solum peccatum odiat, & non poenam, secundum illud: Benedicite lux & tenebrae dominum. Et, Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ideo quod iudeorum sancti tales non essent, dictum est de eis Psal. viij. Destruas inimicum & defensorum. Ideo dixi, quod lex est spiritualis, qui enim aliter hoc praecceptum intelligit, Iudaice & literaliter intelligit, & non abundat iusticia eius a iusticia pharisaeorum.

Irasci, ne uel  
le quidem de  
bemus.

Oderit peccatum  
non poenam.

Legendi gra  
dus exponun  
tur.

Inde B. Augusti, lib. j. de ser. do. sex gradus colligit in hoc mandato. Primus est, laedere etiam si non sis laesus, quae est summa iniustitia. Secundus est, laedere grauius quam sis laesus, quod accedit ad legem Moysi. Tertius est, laedere tantum quantum sis laesus, hucusque lex Moysi processit, quae dicit, Dentem pro dente, oculum pro



lū pro oculo, hęc em̄ donat aliqd, cū maiori pœna dignus sit nocēs, q̄ innocēs  
omni iure. Quartus est, læsus non lædas tantū, quātū sis læsus. Quintus est  
læsus omnino non lædere, hic appropinquat præcepto domini, sed nondū est  
ibi. Sextus est, læsus, paratus ut sis amplius lædi, hoc est, alterum maxillā præ  
bere. Vide itaq; q̄ funditus iram extirpari uelit, ut non solum non irascatur, sed  
etiam optet lædi, hic enim mundus est. Nonne qui hęc audis, cogitas illud Psal.  
Latū mādatum tuū nimis? Quod si quis nō læditur ab alio, necesse est, ut seipsū  
lædat, & irascatur sibi multis cōtritionibus. Ideo nō est melius, nisi ut sicut præ  
ceptum est diligi proximū sicut seipsum, ita quisq; odiat seipsū sicut proximum,  
ut sic omnia reducantur ad iustam formam.

Quocirca, uis irascibilis, quæ hoc præcepto occiditur & mortificat̄, ipsa est  
inimica crucis Christi. Ideo quoniā ipsa est homicida, & occidit, oportet ipsam  
quoq; non uulnerari, sed prorsus occidi & mortificari, & legem talionis in illā  
exerceri. Qui em̄ occidit, occidetur, occiditur autem ista lege, id est, significatur  
occidenda, gratia aut̄ sola occidit eam in effectu. Qua occisa, homo fit mitis, pa  
tiens, suavis, ad quoscunq; etiā paratus inimicos diligere, & eis benefacere, gau  
dere in tribulationibus. Quæ omnia impedit impatiens illa, ac cruda, uis irasci  
bilis, quā heu q̄ pauci attendunt, securi de alijs suis bonis operibus, ignorantes  
q̄ uehementer sit spiritualis, & immaculata lex domini.

Igitur qui amat crucem, & gloriatur in cruce domini, hic est qui non occidit,  
nō irascitur. Nā hęc est uera differentia spiritualis iræ bonæ & malę, qd̄ ira ma  
la propter mala pœnæ tantūmodo irascatur: Bona aut̄ solum propter mala cūl  
pæ, ideo sibi tantum displicet, & seipsam odit propter peccata, omnes alios dili  
git & non odit ullum propter res ablatas.

At dicis,

Si hoc ita esset, nullus saluus fieret, uel nimis pauci. Respondeo, ideo dixi, qd̄  
ualde spiritualis est lex, & eo conandū ut sic impleatur, nec mirum quod pauci  
saluantur, nec tamē ideo desperandū, quia quod impossibile est nobis, deo pos  
sibile est, ut Luc. xix. Quæ impossibilia sūt apud hoīes, possibilia sunt apud deū,  
hoc est quod dixi, lex recte & spiritualiter intellecta terret hominē, & cogit hu  
miliatū ad gratiam, confugere, ac de seipso desperatum, oculos in cœlum leua  
re, & dicere: At te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis, &c. Et iterum Leua  
ui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi. Quia hic nulla est fuga  
huc enim oportet hominem uenire, ut sit ita mundus, siue hoc fiat in uita, siue  
in morre, siue in purgatorio. Noli ergo superbire, quod non pecces, si sentis te  
irasci pro temporalibus, quia nondum es in spiritu iustus cum Christo, sed cum  
Mosaicis in carne. Quod autem de isto præcepto dixi, de omnibus intelligēdū  
est simili modo, quodlibet em̄ illorum est spirituale, immaculatum, fidele, pro  
batum, purgatum septuplum, licet raro sic exponatur, ut Psalm. xj. de eiusmodi  
conqueris. Vnde quod in Græc. dicitur, Omnis qui irascitur fratri suo sine cau  
sa, merito per B. Hiero. iubetur eradi, tollit̄ enim (ut ipse ait) omnis occasio iræ  
in isto præcepto. Et illud additum est, quia in ueris libris non habetur.

At obijcitur, Tu de perfectis loqueris, non autem omnes damnantur imper  
fecti. Respondeo uerum est, Sunt gradus in isto & quolibet præcepto, ut isti  
quatuor a domino in euangelio isto destincti, & sex per B. Augu. ut uisum est  
Primum est enim, ne occides opere, tamen prospiciendum ne etiam uerbo, ac  
deinde ne signo, inde nec corde. Quod si nunc mereri etiam uolueris, oportet  
ut etiam libenter optes aduersa, & feras cum gaudio. Scio non oportere statim

S iij esse

Irascendum  
propter ma  
lum culpæ.

Pauci saluan  
tur.

Irascēs p̄ p̄pa  
libus nondū  
est in spiritu  
iustus.

Sine cā, adde  
ctitia particu  
la iuramenti.



Conandū ad perfectionē Christiano. esse perfectum, sed gradatim ascendendum. Verum oportet tandē perfici, & tēdere semper ad perfectum, & non stare ac contentum esse in aliquo graduum praedictorum, sicut multi faciunt, peius peccantes propter non proficere, & alij propter non incipere, eo quod illi superbiant de incepta iustitia.

Inde deniq; sapius uenit, ut pessimi peccatores, ac meretrices, compuncti statim ita perficiantur, ut in supremum gradum euolēt, parati omnia amittere, & sustinere cum gaudio, ubi alij multis annis laborantes, nec secundum attingunt.

Fomes pcti p confessionem non tollitur.

Præcipit uera uires nostras, ut nobis misereatur.

Quod si dixeris, non mirum quod magni peccatores sic cōpungantur. Ecce ecce, hic te audio pharisæe, tu non es magnus peccator, non es sicut ceteri hominum, inuenisti uias tuas bonas. Et cæcitas nimis profunda & lata, quasi ista superbia non sis peior illis omnibus. Igitur cogitandum semper, ut non tantum ira, sed fomes ipse iræ, & totus Adam occidatur, arbor cum fructibus & radice. Ira enim uiri iustitiam dei nō operatur. Non enim præcepta sic tantū sunt discenda, ut scias confessionem facere, quia iste fomes non pertinet ad confessionem, sed tantummodo opera, neq; tollitur per confessionem, quia neq; per baptismum. Sed cognoscendum peccatum, & quid faciendum tibi sit, & quid a deo petendum: per legem enim cognitio peccati. Quia præceptum dei plus requirit, q̄ possumus. Sed hic clamāt, ergo impossibilia præcipit & hæc est blasphemia, ergo iniuste damnat. Respondetur, non, sed ideo præcipit, ut miseretur & humiliet ad gratiam quærendam. Qui enim solum discit ea, ut possit confiteri, uadit præsumens facere quæ didicit, & peius semper ruit, nihil aliud faciens, nisi quod conscientiam auget & magnificat.

Corollarium.

Pctm est non esse perfectū, sed nō oibus imputatur.

Quod homo non est perfectus, si 2 aut debet esse, peccatum est, sed 3 alijs 2 imputatur, non imputatur.

Imputatur ijs qui stant, quia tales peccatū suum non odiunt, quod est in eis, scilicet fomitem, ac per hoc diligunt, & fœdus cum gentibus Cananais ineunt. Non imputatur eis qui studio assiduo illud expugnant, propter hunc enim seruum & profectum non imputatur eis, licet sit in eis: quia licet sit in eis, tamen non est in eorum uoluntate, sed contra uoluntatem in carne. Ideo nō est in eis, quod est in eis. Vnde Aposto. dicit: Scio quod non habitat in me, id est, in carne mea bonū, habitat in eis, sed non regnat in eis, sicut lebusai inter filios Israel sed non regnabant. Et Rho. vij. Nihil damnationis ijs, qui sunt in Christo Iesu qui non secundum carnem ambulant. Quare? quia qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs suis. Ambulant enim assidue cōtra carnem, non secundum carnem, id est, expugnant fomitem, quem illi sterrentes se cure omittunt, de operibus contenti bonis.

Fomes pcti totus extinguentus.

Quid enim putas significat passio & mors Chrihi, nisi mortem ueteris hominis ac totius Adam? qui licet non subito occidatur, tot tamen alapis, colaphis, flagris, spinis, tandem clauis pungendus & fodiendus, donec expiret inclinato capite. Caput est ipse fomes intima radix iræ & concupiscentiæ, qui non occiditur nisi multis aduersitatibus fractus, tandem quiescat mortuus.

Idem significatū est, quod olim filij Israel omnes mortui sunt in deserto, præter Iosue & Caleph, & non nisi alia generatio intrauit terram promissionis, quæ secundam circumcisionem in spiritu figurabat, ut non tantum a temporalibus, sed & a spiritualibus bonis abstineretur.

Nunc



Nunc uideamus Theologos nostros, quid de præceptis istis sentiant. Dicunt itaq; quod intentio legislatoris non fuerit, ut in charitate seruētur, nisi quis uelit uitam ingredi, secundum illud: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Alio/ qui (inquiunt) sequeretur quod peccaret, qui non occideret, & hanc obmissio/ nem sine charitate præstaret. Ecce hæc dicunt ij, qui nobiliores in Theologis. Quid autē dicunt, nisi quod iudæi etiam sapiunt & dicunt, scilicet literam & tra/ ditionem facientes ex spiritualissimo mandato dei: Non occides em̄, intelligūt id est, non facias opus homicidij; quod utiq; cum facile contingat obseruari, sta/ tim irruunt & dicūt, præceptū esse seruatum, nisi forte non in charitate: sed hoc nō est peccatum, nec transgressio huius præcepti. Quid faceremus istis pharisa/ cis interpretibus, si non ipse dominus hoc præceptum exposuisset: prompti em̄ essent negare, quod in illo ira cordis etiam prohibita sit, nisi quando non irrita/ tus, ex malicia irasceretur homo, quod tamen nescio an huc pertinere sentiant. Si ergo scirent, quod ista malignitas irę radicalis radicitus hic prohibetur, utiq; non negarent præceptū in charitate fieri iussum esse, nisi dixerint aliquē, suis ui/ ribus posse iracundiam in mititatem mutare sine gratia.

Præcepta sū  
in charitate  
perficienda.

Secundo, illud quoq; uel somniāt, uel somnare cogunt. Quod non occides &c. referatur ad tempus quietis, in quo si quis irasceretur, peccaret, quod ille ni/ mirum uult, qui glossauit, sine causa, q. d. si fuerit non pulsatus iniuria &c. qua/ si non peccet, si læsus indignetur lædenti, non em̄ hucusq; intrāt in præcepti co/ gnitionem, ut uiderent, quoniā omnia referūt ad tempus temptationis & pro/ bationis, ut homo ibi agnoscat spiritum eorum, & carnalitatem suā, dum senserit sese rapi uolenter ad peccādū, & non inuenit in carne sua bonū, ut gemat p/ gratia sanitatis, hic enim sine gratia homo non potest iram obmittere, & impa/ tientiam: ut patet experientia. Alio qui non doceretur homo hic aliā irā ponere q̄ diabolicam, quæ est, nō irritatū irasci ac nocere, quæ nullis ferme bestijs inest aut q̄ paucissimis. Similiter somniant de actu diligendi deum super omnia, scilicet in tēpore quietis, & non cogitant q̄ impossibile sit in tentatiōe & passione.

Sine cā male  
exponunt.

Hoc totum illi pulchre abscondunt, quando disputāt solum de operibus præ/ ceptorū secundum faciem syllabarū. tunc em̄ inueniunt iudaicæ illius cæcitatatis monstra, scilicet quod gratia non est necessaria, nec intenta in præceptis, nisi cō/ ditionaliter, & hoc non propter defectū hominū, sed propter intentionem præ/ cipientis, ut gratia fiat odiola cunctis, dum potius uelut noua exactio imponit supra legē, & impossibiliorem faciat salutem, q̄ lex ipsa, & non sit potius adiu/ torium & consolatio ijs, qui legem debent implere. Sic sic cogunt imaginari Theologi monstra ignorantia, & prodigia tenebrarū. Igitur in gratia fieri præ/ cepta, non solum est intentio præcipientis, sed indigentia facientis. Nam uerū est, quod ille peccat, qui non occidit, existens extra gratiam. Nō autem peccat, quod non occidit ad literam, sed quia intus occidit corde, in spiritu, ubi sine gra/ tia, non potest esse sine ira & fomite indignationis, ut patet experientia tentatio/ nis & occasione data per aduersitates, hoc em̄ latens malum iræ facit, ut nō pos sit nō occidere, ergo reus est præcepti spiritualis, licet sit nō reus eiusdem præce/ pli literalis. Patet ergo quod de lege loquuntur ad literam.

Gratia est ad  
iumentū legis  
adimplendæ

Tertio, ex eadem caligine concludunt, quædam esse præcepta tātum negati/ ua, quædā affirmatiua, hoc iterū nō est uerū, nisi corticē syllabarū teneas. Nā illo præcepto, Nō occides, exprimit uehementissimam affirmatiuam, scilicet illam, Esto mitis, & ex corde mansuetus ac patiens, & q̄tus ac pacificus. Negatiua em̄

Præcepta nul  
la sunt negat  
ua.

S iij in sc̄tū



in scripturis ideo ponitur, quia affirmatiua non est tam uehemens, ut ibi; Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea, id est, in aeternum ei cumulabitur. Et Pal. cix. Iurauit dominus & non poenitebit eum, id est maxime & aeternaliter placebit ei. Et illud Psal. i. Beatus uir qui non abiit, id est, maxime hic inter pios profecit. Et sic de multis alijs. Nam & Apostolus Rho. vij. exponit illud, Non concupisces, affirmatiue dicens: Quod uolo bonum, id est contrarium concupiscentiae (scilicet castitatem & amorem) non facio, facere enim positue significat. Igitur hoc praecipuum est quidem negatiuum secundum litteram, sed affirmatiuissimum secundum spiritum, quia dominus requirit, ut sint mites & pacifici. Illi autem relinquunt internam foeditatem, quam Synagoga impropere dicitur, dicens: Sordes in pedibus eius, Tren. i. & Deut. xxij. Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.

Sic & illud, Non moechaberis, negatiuum est, sed secundum litteram, habet autem hanc affirmatiuam spiritualissimam, Esto castus, continens, temperans, sobrius, modestus. Et hoc ex intimo prompto, gratuitoque corde. Hic autem gratia utique opus est, non propter deum intendente praecipiendo, sed propter carnalitatem nostram impotentem faciendo.

Sic illud, Non furtum facies, littera est negatiua, sed spiritus affirmatiuus, scilicet, esto pauper spiritu, contentus praesentibus, ac modestus &c.

Quin & illud primum, Non habebis deos alienos, est affirmatiuum, scilicet, dominum deum tuum diliges & coles, unum, super te, & omnia, alioqui non erit unus, si aliud cum eo diligitur.

Et illud secundum similiter, Non assumes nomen domini dei tui in uanum. Haec est littera, sed spiritus dicit: Sanctum & terribile nomen eius. Et iterum, Omnis qui inuocat nomen domini, saluus erit. Vult ergo assumi nomen dei assidua reuerentia, & timorosa inuocatione, magis autem glorificari, & benedici humiliter suae ignominiae confessione.

Et illud tertium, Sabbata sanctifices, id est, ad litteram nullum opus, in eo facias: littera est negatiua, cum ibi affirmetur nobilissima, & maxima operadei, in audiendo, docendo, meditando uerbo dei in spiritu intus, foris quies, intus maxima actiuositas dei operantis. Et si haec tria praecipua exponas spiritualiter (id est, de internis operibus) inuenies, quod primum sit Charitas dei, Secundum fides, Tertium spes. Nam non habere alienum deum, est deum diligere super omnia. Non assumi nomen eius in uanum, est credere in nomen eius, & ipsum in fidei spiritu intus inuocare & glorificare. Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt: omnis enim qui inuocat nomen dei, saluus erit. Porro sanctificare quiete est sese passibile deo prestare, ut in illo deus solus operetur, hic patientia & spe est opus. Nam hic in caliginem intratur, ubi homo non operatur, sed ducitur uia passionis mirabiliter. Quoties ergo pateris, toties operaris non tu, sed quiescis, & deus operatur in te, sed tu nescis quid, quia pateris & es nuda materia. Hoc est quod ait, uacate & uidete, quonia ego sum deus. Spes sola hic regnat in charitate per fide. Recte itaque B. Aug. dicit, quod cultus & latritia dei est in fide, spe, & charitate. At haec sunt affirmatiuissima, & tres Theologicae uirtutes, sub littera istorum trium uerborum significatue negatiue.

Vnum restat affirmatiuum, Honora patrem & matrem, sed & hoc quomodo sit spirituale, dictum est supra. Licet littera solummodo honorem signi externi docere uideatur, sed subtus affectum timoris & obedientiae promptitudinem requirit, quae sine gratia non est possibile fieri ut patet in probatione tentationis, ubi occasio uenit ipsum obseruandi, contra uotum uniuscuiusque.

Iam

Præcepta prima  
tabulae  
sunt de tribus  
uirtutibus  
theologicis.

Homo patitur  
a deo, non  
agit bonum.



Iam illud quartum satis notū est, Non falsum testimoniū dices, literā esse negatiuā, sed affirmatiuā esse in spiritu, ut proximo tuo sis ex corde paraclēt<sup>9</sup>, excusando, defendendo, & oīa, quæ tibi uelles fieri in famæ periculo, & conscientię.

Reliqua duo similiter nota sunt, quod non concupiscere ad literā, hoc sit ex corde fatere proximis omnia bona, & nolle ullū malū, Ex quibus omnibus patet, quod decalogus ad literam sonās, recte in spiritu exponit a Christo & Apostolis, ubi docent fidem, spem, charitatē, obediētā, reuerentiā, humilitatem, mansuetudinē, pacem, patientiam, modestiā, castitatem, paupertatem, bonitatem, benignitatē, hilaritatem, mutuam beneuolentiā &c. Hæc quidē sunt affirmatiua, sed sunt spirituales sermones decalogi omnino.

Catalogum  
exponit christus  
spiritua,  
liter.

Reuertamur itaq; ad propositum.

Incipit autē a mansuetudine ac suauitate spiritus instruere hominem, ut deo si milis esse studeat homo erga proximū, sicut uult deū erga se esse. Nam bonitas summe cōmēdat deum, ideo ut homo sit mitis, benignus, suavis, māsuetus, clemens, facilis, tractabilis, bonus, id est, deo simillimus, dicit: Non occides, non sis occisor, non sis crudus, asper, durus, amarus, difficilis, indignabundus. Hoc autē efficit spiritus gratiæ, qui hoc præcepto quarī & peti cogitur. Hoc idem dicit dominus Matth. quinto. Beati mites, quoniā ipsi possidebunt terram.

Corollarium.

Frustra sibi blandiuntur, qui non occidunt, & tamen ut sint benigni ex corde, non quarunt, quia per hoc solum speciem præcepti, & literā habent mortuā, quibus uelut umbris protegitur interior umbra Behemoth.

Cordis bene  
uolentia regitur  
erga  
proximum,

Et demus simile.

Calx apparet frigere, ac sine calore, sed effusa aqua, furit ardore, solo autē oleo quietissime extinguitur. Sic homo adustus fornace maternæ cōcupiscentiæ, occultam habet radicē iræ, quæ erumpit data tentatione, nec sanatur nisi per oleū gratiæ.

Aliud.

Latro uel homicida, aut alius grassator, si non occidit, aut percutit de facto, nū quid contentus est in eo princeps, si arma non ponat: suspicabitur enim, quod data occasione percutiet, ita homo, & si non irascatur de facto, tamē habet intus gladiū iræ, & si in uagina reconditum, sed nō placet deo, nisi ponat gladium & abijciat. Nec satis est quod in uagina sit, timor est de futura occasiōe. Nam iste est gladius, quo occisus est filius dei. Ideo etiam si non occidas, tamē coram deo occisor es, quia in armis occisiōis filij sui inueniris. Quis enim corā principe securus gladiū portet, quo constiterit filium principis occisum? ideo iram tam lōge fieri oportet, & ex intimo corde, ut non possibile appareat aliquando ipsam erumpere. Sic canis, etiam si opere non mordeat, nūquid ideo nō est mordax? immo eo peior, quo insidiosior. Sed heu has insidias nostras cordis quæ pauci obseruant. Vnde Psal. v. Interiora eorum insidiæ, quod nos (cor eorum uanum est) habemus.

Igitur incipientium gradus primus est proprius, scilicet, abstinere a facto homicidij, seu per se faciendo seu consentiendo, consiliando, auxiliādo, ut solet terra lingua, & susurro, autor cædium, facere, miscere iras & dissensiones, rixas, insidias, homicidia, ut Gal. v. docet Apostolus. Hic gradus uidet facilis & exiguo sed est grādus, si recte inspiciat, & pauci sint innoxij, quia pauci sic linguā temperant, ut nō seminet discordias, ac per hoc quantū in eis est, homicidia incipiūt. A quo malo magno & frequenti liberam fuisse matrem suam Augustinus dicit ex singulari gratia dei, ix. Cōfess. Neque enim ab eo facile se liberum sentiat

Gradus in  
peccato.

nisi



DetraCTOR  
ter homicida  
est.

nisi qui pacificus ac mediator utilis est, ut ea tantum narret, quae concilient ac placent iratos ac discordes, aut magis concilient concordes, tacendo mala, & praedicando bona utriusque apud utrumque. Sicut legitur exemplum quoddam de nuncio prudentis seruo, missio a domino ad quendam, ut migrare iuberet de domo eius. Ille autem saluari dixit eum a domino suo. Et ad dominum rursus reuersus dixit, illum uelle migrare, donec mira (ut nunc omitto) ordinatione dominus mitigatus, intelligeret prudentiam serui. Quapropter recte dictum est, quod furro seu detractor est ter homicida, tres enim uno ictu occidit, primo seipsum, deinde eum cui susurrat, tertio cui detrahit; quia os quod mentitur, occidit animam. At excusant se, dicuntque se uera dicere, sed male, quia uerum debet uere dici, secundum illud: Quod iustum est, iuste exequaris. Ergo etiam uerum sit mendacium, dum non ubi, quomodo, quando, cui, quantum dici debet, dicitur. Hinc & B. Bern. dicit, quod detractor habet diabolium in lingua, qui auscultat in aure. Secundus occisus est ipse auditor detractoris, quia similiter peccat, praeter hoc, quod ad iram id est, mortem, eum inducit. Tertius ipse passus, qui cognito isto malo, similiter ruit in iram, id est, mortem, quod si non ruit, non est detractoris beneficium, sed dei, fecit detractor, quantum in eo fuit. Caetera mala detractoris alibi. Et epistola iacobi de malo linguae tractanda foret, ut appareret, quae latus sit iste primus gradus huius mandati, & quae pauci in illo sint. Et breuiter id faciemus. Dicit primo capitulo: Itaque dilectissimi fratres, sit omnis homo uelox ad audiendum, & tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiri iustitiam dei non operatur. Istitis uerbis ad mansuetudinem monet, unde sequitur: Propter quod abijcietis omnem immunditiam, & abundantiam malitiae, suscipite in mansuetudine in scriptum uerbum &c. q. d. ne perfeceritis omnem immunditiam, & abunde nimis malitiam, hoc est, ne tradatis uos immunditiae & malitiae, ut omnem expleatis, sed satis est, quod resistentibus, & abijcientibus adhuc tamen adharebit uobis immunditia & malitia. Omnem, & abundantiam, addit ad significandum, quod qui contra pugnant, non sine immunditia & malitia tamen sunt. quanto magis omnem & immunditiam habent, qui non pugnant, sed obediunt, secundum illud Psal. Astitit omni uiae non bonae, quia sequitur, Malitiam autem non odiuit.

Concupiscen  
tia immundi  
tia dicitur.

Porro immunditiam seu sordiciem uocat concupiscentiam, quae est sordicies animae & spiritus, quae & causa est irarum inter homines; ideo enim inuicem irascuntur, quia alter alterius concupiscentiam impedit, ideo hanc uelut immunditiam totalem & capitalem abijciendam docet.

Ira dicitur  
malicia.

Malitiam autem ipsam iram dicit, quae & ipsa est abundantia & superfluitas quaedam spiritus, sicut foeda corporis superflua sunt. q. d. stercus & superfluitatem malitiae, id est, maliciam, quae stercus & obscenum est animae, abijcite & nolite fouere.

Tardus ad  
loquendum.

Hoc autem fit, si uelox sit quisque audire, tardus loqui. Irati enim sunt non tantum ueloces ad loquendum, & tardi ad audiendum, uerumetiam impotentes ad tacendum & audiendum, quia uelox ad iram, uelox etiam est ad loquendum, & e contra. Quare optimum remedium frangendi iram est, ut homo sibi uim faciat & asuescat. Primum tardus esse ad loquendum, quando fuerit iratus. Secundum, quod est perfectius, tardus ad iram, ut proponat in corde non uelle moueri ad iram, & uelle aliquando experiri, an possit tacere offensus.

Ira uiri iustitiam dei non operatur.

At excusant se quidam, quod propter deum & iustitiam irascuntur, & loquuntur, quibus occurrit, dicens. Ita uiri iustitiam dei non operatur, impossibile est, ut deo placitum faciat opus, qui iratus, & ex ira facit: cum sit deus pacis & suauita



frauitatis, cui nullum turbulentum placet. Memorabilis sententia, quam multi nimis ignorant, qui contra iniustitias indignantur alienas, suas autem etiā palpant, & iactitant quandoq̄.

Ita & infra. Si quis uideatur religiosus esse inter uos, non refrenās linguam suā sed seducēs cor suum, huius uana est religio. O magnum uerbum, q̄ multi sunt uerbosissimi; At etiam (de quibus hic proprie loquitur) amari, iracūdi, & asper rimi, & n̄ uolūt religiosi & sancti uideri. Idē ergo est, quod religio linguosi uana est, quod ira uiri iustitiam dei non operatur; ita ira facit per linguam religionem, & omnem iustitiam uanam, id est, foris speciosam, sed intus uacuat; ideo & seducit; non alios, sed cor suum; putans se religiosum, cum non sit.

Religio linguosi uana est.

Et capite. iij. pericula linguæ & mala describens, ait.

Nolite plures magistri fieri, fratres mei, sciētes, quoniam maius iudicium sumemus. Nolite, inquit plures, id est, nolite omnes uelle docere, & prompti esse ad loquendum, ac docendum, & tardi ad audiendum, sed quilibet optet se discipulum posse fieri, & alteri cedat magisterium sui, ne fiat turbulentissima dissensio, ut ubi plures sint qui doceant, nulli qui audiant, & quilibet cōtra alium, omnia repleant dissensioibus, sicut fecerunt hæretici in ecclesia. Magistros fieri nō est malum, sed quod multi uolunt fieri, id est, quod uolunt esse diuersi, neuter neutri audiens, hoc est, quod maius iudicium sumūt. Et hoc dissuadet tali periculo, quia etiam absq̄ illo maiori iudicio, quod tales accipient, iam satis offendimus. Non est necesse occasionem peccati quarere, & maioris iudicij accipiēdi. Quia in multis enim offendimus omnes. Omnes tales sumus, quod offendimus, & hoc non tantum in uerbo, sed in multis, s. oculis, auribus, manibus, ac omnib⁹ sensibus, deinde cogitationibus. Et istæ offensiones debent nobis sufficere, ne & maioribus nos offeramus. Deinde hoc etiam persuadet, ne alter alterum superbe presumat docere, quasi ipsi nō offendat in ullo, q. d. ut quid aspere uos in uicem reprehenditis; & unusquisq̄ alterius magister fieri nititur. An ignoratis, quod omnes, nullo excepto, offendimus, non in uno tantum, sed in multis.

Magistri fieri nō debent

Quod si quis in paucis uel in opere non offendit, quid de uerbo sentiet? Si quis in uerbo non offendit, hic perfectus est uir. q. d. hic se perfectū & nō anteq̄, etiā in uerbo non offendit, q. d. talis nullus erit inter uos, quia in multis offendimus omnes, multo magis & in uerbo; ut quid ergo contra inuicē superbitis & eleuamini, ac non potius in māuetudine inuicem monetis & portatis? Hic inquam perfectus uir. Potest etiam freno circū dare totum corpus, id est, si potest linguā domare, potest etiam totum corpus suum a peccato custodire; quia qui nō peccat in lingua, sine dubio & alia mēbra iā domita, & obedientia habet sub freno.

Superbe alter alterū nō doceat.

Inquisiteores hæreticæ prauitatis.

Deinde tres proponit similitudines, aquarum una iam cœperat. Ecce equis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis, & totum corpus eorum circumferimus.

Secunda.

Ecce naues cum tantæ sit, & a uentis ualidis minentur, circumferantur autē a modico gubernaculo, quo impetus dirigentis uoluerit; ita lingua modicū membrū est, & magna exaltat, seu iactat, q. d. equos frenare, & dirigere possumus, & naues; immo, ut infra & bestias. Lingua autē cōtra, cū sit modicum membrū debuit maxime posse comprimī, & dirigi. At ipsa magna potius iactat ac mouet, quæ alias reguntur bene, mouet & iactat omnia, sicut uentus naues, recte contraria gubernaculo; quod frenat naues, similis est in quantitate clauo nauis, & in effectū tamen contraria, similis potius uentis & turbinibus.

II

Lingua gubernaculis confertur;

Tertia



## Tertia similitudo.

III **Lingua ignis est.** Ecce quantulus ignis, quantam syluam, id est, sit ut paruulus ignis magnam materiam succendat, totam scilicet syluam. Et lingua ignis est, uniuersitas iniquitatis. Grec. mundus iniustitiae, q. d. tot parat iniustitias, ut quasi mundus putari possit, quia ignis est, & multa incendit.

**Lingua maxime hostis noster.** Istitis omnibus & sequentibus uerbis id agit, ut nos moneat & doceat, quia maximus hostis noster est lingua propria, atque ab ea non minus cauendum, quam ab inimico maximo, & quo est minor, eo nocentior; minor in re, sed maximus in uirtute. Nihil enim facilius laedit conscientiam quam lingua, ideo enim & in monasterijs silentium instituitur; licet contra illud diabolus Logicam quoque illuc introduxerit, garrulitatis garrulosissimam magistram. Eadem causa, ut uelocitatem locutionis compesceret, dominus minatur, de quolibet ocioso uerbo rationem reddendam; dura sed necessaria sententia aduersus tam lubricam pestem, ac praesentissimum uenenum.

Item id & philosophi uiderunt, quod homini ideo sunt duae aures datae, sed una tantum lingua. Atque aures ipsae non tantum parulae, ac aperta foris, sed etiam auriculis circumamiciantibus, ut facilius audiat, denique tortuosa & uerbo quodammodo obiecta, ne facile uerbum praeteruolet. Lingua autem non tantum clausa, & latens, uerum etiam osseo muro circumclusa, scilicet dentibus; deinde ualuum carneum, id est, labia, praeter hoc quod tantum a pulmone distat, & corde tot requirat instrumenta, cum aures nullo indigeant, adhuc ipsa uelocior est omnibus sensibus.

**Quinque sensus instar quinque nauium.** Ecce quinque sensus uelut quinque naues natant in rebus istis corporalibus, & inferunt in memoriam res innumerabiles, scilicet uisu, auditu, tactu, olfactu, gustu. Nec tamen tot inferre possunt, quin illa plus efferat. Sapissime loquens coniecturas, suspiciones, opiniones, somnia temeraria, friuole ficta, quae nec sunt, fuerunt, nec erunt.

**Ranarum immissio loquaces significat.** Item inde secunda statim plaga Aegypti fuit, ranarum immissio, quae lingua citatem significant sterilem. Quia prima fuit sanguis, significans, quod quando homo fit caro & sanguis, totus fit lingua, & non nisi uana loquitur, & quo uanior est, eo plus uult plus loqui. Atque fideli signo uanum hominem per hoc cognoscas, si fuerit multiloquus, & e contra. Quo fuerit homo solidior, & grauior hoc signo cognoscas, si fuerit parcus in uerbis, largus in opere; nam tales fastidiunt loqui, nisi dum obedientia aut necessitate cogunt, ut Psal. liij. Obmutui & silui a bonis. Sicut enim eos tædet uita sua, ita & loquelae. E contra. In multiloquio non deerit peccatum. Et ibidem, Vbi plurima sunt uerba, ibi frequenter egestas. Iob iiij. Nunquid qui multa loquitur, poterit iustificari? Et Psal. Vir linguosus non dirigitur in terra. Sed haec maxime sunt mala, dum ira magistra loquitur, unde Aesopus dicitur linguas emisse, cum iussus fuisset optimas carnes, & postmodum pessimas emere.

Quin multi timore infamiae sibi mortem conscuerunt, & Poetae dicunt Lycamben uersibus iambicis Archilochi adactam ad laqueum. Quod si quis adhuc dubitat, interroget eum, qui amarā habet mulierem ac litigiosam, & uerbosam.

Denique quod bestiarum dentes, ungulae, rostra, cornua, aculei, uenenum, aut quae cuncta arma, immo quod malis hominibus tam uaria uasa & arma, hoc lingua est animabus. unde Psal. Filij hominum, dentes eorum arma & sagittae. Item lxxiiij. Nolite extollere in altum cornu uestrum &c. Unde arcus gladius. Recte itaque mundus iniquitatis, & modicus ignis magnam syluam succendens.

Et sequi



Et sequitur. Sic lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus. q. d. Nonne est mirum, quod illud maculat, & totum corpus maculat, quod adeo non est extra nos, immo adeo intra nos, ut sit inter propria membra? Monstri hoc simillimum, quod membrum non tantum membro, sed toti corpori officiat, cum se mutua membra sollicitudine foueant. Hæc sola inter ea maculat totum corpus, id est, reum facit peccatorum, ut propter ipsam totus homo sit odiosus deo & hominibus; quia adeo infamis & abominabilis est linguosus, ut etiam si toto corpore sit formosus, aptus, diues; nihil tamē in eo non uelut fœdum fugitur ab hominibus. Quis enim libenter cum loquacibus ac garrulis cōuersatur, ac non potius abhorret ac nauseat, & dicit: Ey wie weschig ist der? Et inflammatur rotam natiuitatis nostræ, & inflammatur a geenna. Videtur Apostolus natiuitatem intelligere, id quod nati sumus, ut supra c. i. Similis est uiro cōsideranti uultum natiuitatis suæ in speculo. Et iterum: Voluntarie enim generat nos uerbo ueritatis, ut essemus aliquid creaturæ eius. Igitur natiuitas, generatio seu creatio ac creatura, in quâ nati, producti, creati sumus. Ergo rota natiuitatis dicitur tota essentia, & quicquid creati sumus, sicut totum corpus. Et hæc rotam natiuitatis, totumque circulum nostræ essentiæ, seu eius quod sumus, hoc ipsa inflammatur. Ignis scilicet est & uniuersitas iniquitatis, ideo succendit non partem nostri, sed totum quod sumus, ac uiuimus. Nam forte etiam ideo rotam appellauit, non tantum propter totale esse, sed etiam totale uiuere, & operari in hoc tempore. Vita enim nostra rota uolubilis est.

Addit autem inflammata a geenna, ne bona flamma hic inflammare intelligatur, quia ipsa infernali igne accensa, id est, odio & ira, totum quod sumus accendit ira & odio, dum prouocat & permouet ira, ut patet in iratis, qui intus & foris tremunt & feruent.

## Quarta similitudo.

Omnis enim natura bestiarum & uolucrum & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt a natura. Linguam autem nullus hominum domare potest. Vide quæntis uerbis & sensibus linguam incessat, ut eam igni inferno similem, ac feris inferiorem ponat. Quis a seipso non timeat, qui nocentiorum & feriorum bestiam apud se habet, quæ totus mundus? quis non odiat linguam suam? quis non uereat loqui, qui tantis nominibus fœdari audiat suam linguam?

Lingua nullus domare potest.

Sequitur: Inquietum malum, plena ueneno mortifero: parum est quod sit inquieta, quod per se malum est, sed inquietum malum, id est, semper nocens, neque a nocendo quiescens. Deinde plena ueneno mortis, id est, quod occidit, non tantum inficit, hoc est, presenti ueneno, non lento aut tardo. Hoc sane patet quæ profunde penetret susurronum uenenum, quod illis, quos intoxicarint aduersus inuicem, uix tota uita remedium prouideri potest, ubi usque ad medullam processit inuidia & odium. Sæpius cum odio moriuntur potius quæ conciliantur. Emphaticus itaque & Epitaticus dicit, ueneno non infectorio, sed mortifero. In ipsa benedicimus deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinem dei facti sunt. q. d. Non potest simul utrumque facere, nisi ficte; ideo ne se quisque fallat, quod deo benedicat, si hominem maledicit, nec deum benedicat, cuius homo factura est. Quis enim picturam, aut statuam reprehendere ac maledicere potest, ut maledictio eiusmodi non redderet in pictorem, & artificem? Sic Hieremias, xv. de iis, qui operibus domini maledicunt, dicit: Omnes maledicunt mihi. Et Esaias, viij. Cum esurierit, irasceat, & maledicet deo, & regi suo, inde præcipue in lege prohibitum fuit & est: Dijs tuis non detrahes, & principi populi tui ne maledicas. Et Apostolus: Maledici regnum dei non possidebunt.

Inquietum malum.

Plena ueneno mortis.

T Quod



Maledicens  
hominē, deū  
maledicit.

Quod si homines id attenderent, quod maledicendo hominibus, deo quorū q̄ maledicunt, cuius opus & facturam maledicunt, utiq; nō ita prompti essent maledicere. Sicut Prouerbi. xiiij. Qui calumniatur egenum, exprobrat factori eius. Quid enim facit, qui maledicit, nisi quod dicit: Vah quod nō aliud & aliter formatum: cui potius deberet misereri, & dicere orando: O domine, fac eū alium, sicut artificē licet monere & orare non maledicere, ut ibidem. xiiij. Prouer. Honorat autem eum, scilicet factorem eius, qui miseretur pauperis.

Quod si B. Petrus prohibet, ne maledictum pro maledicto, nec malum pro malo reddatur, similiter & Christus: Orate pro calumniantibus & persecuentibus uos. Et Paulus Rho. xij. Benedicite maledicentibus uobis, benedicite & nolite maledicere: quid illis fiet, qui maledicūt nō maledicentibus? ideo Psal. xxxij. Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua non loquantur dolum, diuertere a malo & fac bonum, inquire pacem & psequere eam, id est, a malo, non tantum ferendo, sed etiam referendo, seu reddendo, & bonum non tantum reddendo, sed etiam conferendo pro malo accepto: alioquin non inquiritur pax, aut persequitur, si malum malo reddas.

Maledictio,  
detractio, su  
surratio.

Iste ergo gradus est secundus, a domino prohibitus, ne quis maledicat, uirtus peret, detrahat proximo suo, & sicut in primo gradu plures sunt rei q̄ credāt, ita & isto, nam tria maxima uitia linguæ hoc præcepto prohibentur, scilicet maledictio, detractio, susurratio, sed istud tertium in primo gradu: Ac per hoc uniuersa mala linguæ prohibentur per. iij. & v. & vj. & vij. mandatū: per. iij. per iuria & blasphemias, ac alia offensiones cōtra deum quacūq; sed per. v. offensiones erga proximū, per. vj. uerba impudicitia, per. vij. uerba deceptionis & fraudis in negocijs seu iudicijs, nam & in ipso. vij. etiā detractio est, sed publica, ac coram iudice, hic autem alia. Igitur maledictio & detractio, & susurratio sic differunt, quod maledictio est in ipsum præsentem, uel tanq̄ in præsentem & in faciem, sub qua omnia contumelia, blasphemia, criminationis, uituperij, agnominationis uitia comprehenduntur. Detractio est de absente ipso ad alium, & sequitur maledictionē, quia mala in aliquem, uel foris præsentem, uel intus memoriae obiectum congesserit, & hoc ad alium detulerit, iam maledictio facta est detractio, quare nullus est detractor, quin sit & maledicus, saltem apud se; & hæc duo pulchre expressit uersus: Prohibe linguam tuam a malo (id est, ne ulli maledicas, siue uoce, siue tacito murmure) Et labia tua ne loquantur dolum (id est, detrahare caue) Nā dolum est, siquis in tergum loquitur, nesciente illo cui nocet; non autem e contra: omnis maledicus etiam detractor est, saltem hominis eiusdem, licet detrahat deo quando maledicit hominem. Quod si ulterius detulerit mala duorum contra inuicem, uel unius ad alterum tanq̄ alterius amicus, & alterius inimicus, iam bilinguis susurro est, & discordia seminator, peior istis duobus, ideo extra istum gradum in primo cum homicidis collocandus.

Manfuetudo  
hoc præcipit

Concludamus itaq; hunc. Sicut primum gradum huius præcepti nō implet, nisi qui non tantum nō occidit aut lædit, aut non discordias seminat (quia & omittendo potest cōmittere) sed etiam ita mitis sit, ut potius uiuificet, ac foueat operibus misericordiae & beneuolentia. Et ita pacificus, ut mitibus ac dulcibus uerbis etiam conciliare studeat discordes, quantum potest, & mediare ne fiant discordes. Hi enim audiēt: Beati mites, beati misericordes, beati pacifici, quoniam ipsi possidebunt terram, misericordiam consequentur, filij dei uocabuntur. Ecce istæ tres beatitudines in isto præcepto sunt comprehensæ.

Ita



Ita secundum gradum non implet, nisi non tantum nō maledicat, detrahat aut uituperet, sed etiam in omnibus benedicat persequentibus, & excuset accusatos, oret pro omnibus, & resistat detractoribus, quantum potest. Ecce hæc est spiritualis intelligētia huius præcepti. Nunc similiter de tertio gradu.

## Tertius gradus iræ.

Est, dicere fratri suo Racha seu archa, asperando gutturis halitum, uelut fremitum arteriæ formando. In quo dixi omnia signa iræ præter uerba, immo & uerba præter maledicta & detractones comprehendī, ut sunt ironiæ in uerbis torsiones labrorum, rugæ frontis, ac nasi, ac excandescētia uultus, deinde silentium, auersio uultus, dirus intuitus, quæ omnia sunt indicia animi irati & odio pleni. Adde clamorem & stridorem dentium &c.

Iræ signa  
omittenda.

Hic aliqui dicūt, quod necesse quidem est rancorem dimittere, sed nō signa rancoris. Quæ sententia & si sit in aliquibus uera, non tamen uniuersaliter, & multo melius sic poneretur: Signa rancoris aliquando utile est exhibere, non quod sint signa rancoris, sed similia signis rancoris: alioquin signa uere rancoris non sunt, aut nullo modo retinenda sunt, si uere sint, unde adhuc optime diceretur, quod signa charitatis aliquādo omittere, & signa iræ exhibere oportet. Nam si signa rancoris licet non deponere, ergo propter aliquem fructum. Quare ergo non potius exhibenda? ne scilicet sola licentia quæratu omittendi bonum.

Exhibere itaq; melius est, q̄ non dimittere, quia qui exhibet, non ex ira facit, sed ex zelo bono, ideo manet sine suspitione mali. Qui uero non omittit, prius arguitur ex ira fecisse talia signa. Et ideo si non deponat illa, relinquit fratrem in suspitione iræ, ac per hoc impedit ueram & integram pacem ac concordiam, cū ille nō credat cor eius esse mitigatum, & offenditur rursus ad similia.

Quare tales doctores sunt remittendi ad illud præceptum naturale, quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris, & Quod tibi fieri uis, alteri facias. Et gentilis, Si uis amari, ama. sed non est dubium, quin omnes uelint, ut ille quem offensus & iratum habuimus, non tantum signa ponat iræ, sed eo magis contraria exhibeat, ut certi fiant de eo. Ideo largiora petuntur signa, q̄ si nō fuisset offensus. Sic enī & deus largius benefecit post peccatum humano generi, q̄ ante peccatum fecit, eo quod filio proprio nō pepercit &c. Quod si signa tāta omiffisset, quis eum propitium factum credere posset, aut auderet? Filij ergo dei, deum patrem suum imitentur. Istis autem dictis docemur, q̄ sit difficile mandatum dei seruare: nam experientia patet, q̄ difficile sit hominibus hæc signa mala ponere & bona ostēdere, q̄ se uertunt & reuertunt, anteq̄ induci possint ut simulate saltem faciant: nam uere & ex corde nunq̄ nisi gratia dei adiuti, facient: dicunt enim, non possum tibi fauere, & amicabile esse. Et infelices non cogitant, quod nollent ipsis ita fieri neq; a deo, neq; ab hominibus. ideo uident in hoc monstro, quid sit futurus infernus, & quid sit præsens mundus, scilicet regnum diaboli, in quo tantum malum inuenitur in hominibus, contra naturam & naturale proprium dictamen pertinaciter obdurans.

Signa rancoris & iræ deponere difficile.

Quo circa ira & inuidia differunt non aliter, q̄ sicut uinum nouum & uinum uetis: nam inuidia seu odium est inueterata ira, ut B. Augu. in regula: Ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca. Nam ira quæ cito transit & non fit odium, uix ira dicenda est, nam statim traditur obliuioni. Sed inueterata fit tenacissimum malum, quia spirituale malum, adeo ut prouerbiū sit: Nihil tardius obliuisci, quā iniuriam, & nihil citius abolescere, q̄ beneficium: utrunq; sit uitio

T ij



fit uicio naturalis prauitatis, cum contra fieri debeat. Nam bona natura hominis in hoc notatur, si cito obliuiscitur offensam, & beneficium semper memoratur, adeo ut non sinat sibi libenter benefieri, cernens quod obruitur multitudine debitarum gratiarum actionum, & uicissitudinis sibi impossibilis. At contra malae naturae ingenium, semper retinere offensam, semper exprobare & obijcere diu prae terita.

*Iram ostēdere quando liceat.*

Igitur exemplis demus, quando licet signa ostendere irae seu asperitatis; ut si quis ita pertinaciter malus sit, ut semel & bis aut tertio monitus nolit desistere non solum licet, sed oportet signa irae in illum ostēdere, unde pri. Corin. quinto. Si is qui nominatur frater inter uos, est fornicator, aut avarus, aut idolis seruans, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax. Et. ij. Thessal. iij. Si quis non obediuerit uerbo nostro, notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem, ecce non ut inimicus, sed ut frater emendandus est. Ista est ira sancta & bona, in scripturis uehementer laudata. Ideo distinguendum est.

Primo, ut moneatur, secundum illud Christi: Si peccauit in te frater tuus; alioquin prima uice non est abiiciendus, sed monendus. Si enim septuagies septies ueniam petierit, non est ei neganda.

*Corrige quae peccatum fecit*

Secundo, discerne utrum ideo sic facis, quia te laesit, uel quia peccatum fecit. Si enim deum plus diligis quam te ipsum, debes irasci magis quod deum laesit, quam te; deinde aequae misereri quod seipsum peius laesit intus, quam te foris. Quibus respectibus factis, facile doceberis, quomodo & quo corde ei signa charitatis neges, uel non neges. Sed ne te fallat cor tuum, & dicas, ita facio, propter deum irascor, & non propter me, & forte mentiaris: Hoc etiam proba apud te, & uide, si tantum doles & moueris, quod uel si alium laederet, quantum quia te laedit. Si enim illic non moueris, signum est quod te ipsum quæris & uindicas, non autem mederis. Et quid moror? Frustra est disputatio, an signa rancoris sint ponenda, quia prorsus sunt ponenda; Si autem est causa quare sint ostendenda hic penitus irascendum ex corde est, non tantum signa exhibenda. Signa rancoris si sunt rancoris, prorsus sunt omittenda; Si autem non signa rancoris, & dignum est pro emendatione fratris ea ostendere, etiam ira perfecta est addenda, ut uideat, quod ex corde ostenduntur sibi, & ex qua causa. Et non sic incedas tacens & simulans, ut frater nesciat quomodo tecum habeat. Mala est talis doctrina, & penitus contra charitatem, docet enim simulationem.

*Signa rancoris sunt prorsus ponenda*

Sed longa & multa sunt praecipua, quae omnia cito uideret & faceret charitas, quae si desit, nihil est quod satis doceri potest. Ipsa enim docet, quomodo homo ipse uult diligi, foueri, sustineri, benefieri, nihil sibi simulari, ita & idem docet proximo exhibere. Non enim amicus fraudulenter debet incedere, ut Beatus Hieronymus. Vera amicitia impatiens est simulationis. Si est rancor, ostende; Si non est, iterum ostende, & hoc uel signis clementiae uel seueritatis.

*Præcepta per charitatem optime percipiuntur.*

Sed longa & multa sunt praecipua, quae omnia cito uideret & faceret charitas, quae si desit, nihil est quod satis doceri potest. Ipsa enim docet, quomodo homo ipse uult diligi, foueri, sustineri, benefieri, nihil sibi simulari, ita & idem docet proximo exhibere. Non enim amicus fraudulenter debet incedere, ut Beatus Hieronymus. Vera amicitia impatiens est simulationis. Si est rancor, ostende; Si non est, iterum ostende, & hoc uel signis clementiae uel seueritatis.

#### COROLLARIUM.

Patet quod nec iste gradus seruetur, nisi quis studeat non tantum omittere signa, sed etiam ex benigno corde contraria signa ostendere. Ad omnem enim mititatem nos isto format praecipua deus. Et uniuersam irascibilis uirtutis radicem extirpare intendit, ut non nisi dulcedo cordis ibi relinquatur, quod gratia operatur, non natura.

*Ira cordis cauenda.*

Quartus gradus est irasci corde, & hic est primus & omnium aliorum radix. Hunc enim ipsa lex maxime tangit, quando dicit: Non occides. Cor enim mundum quærit, non tantummodo manum, ut Iudaeorum hypocrisis, ut Psalmus. xxij. Inno-

cens



cens manibus & mundo corde. Quare ferme omnes beatitudines Matth. v. in isto præcepto includuntur, ipsumq; exponunt. Nam, Beati mites, beati misericordes, beati pacifici, beati patientes, beati mundo corde, hic manifeste includuntur. Quod si beati pauperes, beati esurientes iustitiam, beati lugentes, eos significat, qui se agnoscunt non implere hoc mandatum, & ideo lugere & cupere ac esurire, quis dubitet quin sint hic, aut saltē tales esse oportet, ut hoc præceptum & quodlibet aliud impleant.

Esurientes  
iustitiam  
Lugentes.

Igitur in hoc gradu sunt omnes cogitationes malæ cum ipsa radice earum, scilicet irascibili uirtute prona ad uindictam, ut sunt ira, inuidiæ, suspiciōes malæ, amaritudines, rancor &c. Et sicut hic est primus, ita habet pauciores species, q̄ proximus post eum. Nam homicidiū in opere habet plurimas, ut homicidium, fratricidiū, uxoricidiū, parricidiū, sacrilegium &c.

Ac per hoc patet, quomodo in isto præcepto sunt quatuor gradus, & in singulis gradibus adhuc mihi gradus; & ideo nullus est in hac uita, qui non sit in aliquo illorum. Beatus autem qui in supremis, infelix qui in infimis. Nam mitas est cœlum, ira est infernus, medium autē ex utroq; est hic mundus. Ergo illuc ascenderunt tribus, tribus domini, hic descenderunt in lacum & infernū uiuentes, quanto propius mititati, tanto & ipsi cœlo &c.

Quare non fatis est pro hoc quarto gradu, esse non irascentem fratri, nisi si mus etiam mitissimi in eum affectus & suauissimi cordis. Quod cū non simus ad gratiam Christi fugiendum est, ut de sua plenitudine nostrū suppleat interrim defectum, donec & ipsi perficiamur.

#### PRAECEPTVM SEXTVM,

#### NON MOECHABERIS.

**O**Breuiſſimum uerbum, sed latissima sententia, ideo interpretatione opus habes, quare Christum audiamus, qui Matth. v. dicit: Audistis quia dictū est antiquis, Non moechaberis, ego autē dico uobis, qui cuncq; uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo. Breuiter ipse quoq; loquitur, quia relinquit ex præcedenti præcepto eadem graduū fieri distinctionē, ponēs eū tantūmodo, qui est in corde. Quare & nos hic eosdē quatuor ponemus, scilicet in affectu, signo, uerbo, opere. Hoc em̄ præceptū ideo exposuit dominus, quia antiqui (id est, Iudæi) ipsum accipiebāt secundū uim & rigore uerbi, ac ita docebant, & irritum faciebant hoc mandatū, sicut & omnia alia: Quod nō esset adulter, nisi qui opere id impleſſet; nihil de cōcupiscentia, signis aut uerbis solliciti, ideo immundi facti sunt. Et in hac sententia sua ira steterūt, ut cōtra eos Hieremias diceret: Unusquisq; ad uxorem proximi sui hinniēbat, & facti sunt sicut equi emissarij. No uis itaq; id est, nobis aliter dicit, ut omnis cōcupiscentia hic euacuetur.

Dicit enim B. Augu. hoc loco de ser. do. in monte, quod nomine moechan-  
tium, qui hoc capitulo cōmemorantur, omnem carnalem & libidinofam concupiscentiam oportet intelligi.

Moechia om-  
nē affectū li-  
bidinosum in-  
cludit.

Primus itaq; gradus est opus ipsum foris, quod sine dubio ex cōcupiscentia intus pcedit, ut ibidē pbat B. Aug. Si autē ois cōcupiscentia carnalis ibi phibēt, ergo & omē opus quod ex illa pcedit, idcirco ponunt multę differentię operū.

T iij Fornicatio